





1746 4a 9  
10.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**CAVTA ALVI**  
**SOLVTIONE**  
IN MORBIS,

---

QVAM  
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS  
ET

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,**  
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILIAR. INTIMO,  
S. R. I. NOBILI, MEDIC. ET PHYS. PROF. PVBL. ORDIN. ET IMPERIAL.  
ACAD. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. IVL. A. S. R. MDCCXLVI.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

**CHRISTIANVS FRIDERICVS TRUPPEL,**  
HALENS. SALIC.


---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELI, ACAD. TYPOGR.

INSTITUTIONUM ACADEMICARUM  
CIVITATIS ALVI  
SOLUTIONE  
IN MORBIS

CONFERENTIA FACULTATIS MEDICAE  
D. ANDREAS WILHELMUS CHINERUS  
PRO GRAV. DOCTORIS  
CHRISTIANUS FRIDERICUS TRAPP  
MILAE MCDCCCXXXV  
THE IO. CHRISTIAN HENDEL, ADAS. TYPOG.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
CAVTA ALVI SOLVTIONE  
IN MORBIS.

PROOEMIUM.



QVI corporis humani ma-  
chinam & mutationes in  
ea contingentes paullo  
attentiori contemplatur  
mente, non potest non  
summam, qua istam su-  
premus omnium rerum opifex construxit,  
sapientiam maximopere admirari. Nul-  
la pars, nisi determinatorum finium caussa

A 2

est

est producta, & vltimus, ad quem obtinendum reliqui omnes concurrunt, finis, est fanitas, bonum, quod vnusquisque intuitu corporis sibi exoptare potest, praestantissimum. Nemini igitur mirum videri poterit, tum omnes omnino homines de vita sua conseruanda maxime esse sollicitos, tum Medicorum inprimis quoslibet eo tantum omnes suos dirigere conatus, vt hominum fanitas, vel praefens conseruetur, vel labefactata pristinae restituatur integritati. Verum enim vero hoc maximopere est dolendum, plerosque omnes fere illas contemnere & negligere scientias, quae non directe quidem fanitatis conseruandae & restituendae praecepta tradunt, sed mentis vires ad solidam eruditionem & praecipue perfectam corporis humani cognitionem acquirendam praeparant, & omnibus fere medicinae partibus vel posthabitis, vel saltem leuiter pertractatis, coeco animi impetu raptos ad istam medicinae partem se applicare, quae circa morbos proffigandos versatur. Falluntur sane  
quam

quam maxime tales, & quod praecipuum est, saepissime cum summo aegrorum detrimento. Mentis acumine, legum, iuxta quas in cognoscenda veritate animi vires sunt dirigendae, cognitione, necessariis rationalem praxin exercendi subsidiis, destituti, & de conquirendis remediorum formulis, in his vel illis morbis adhibitis, tantum solliciti, quid agere & quid praestare possint, quo sanitas hac vel illa ratione sublata restituatur, iis, qui penitus medicinam callent, facile est perspectu. Omnes enim, quae & quotquot in corpore humano contingunt, mutationes, non nisi sub certis & determinatis sunt circumstantiis, quae, si absint, efficiunt, vt, quae antea adfuerunt, nunc deficient & in eorum locum alia succedant, praesentibus conditionibus consentanea. Hae sunt attentione dignae iisque scitu necessariae, qui solidam corporis humani cognitionem felicemque praxin sibi comparare cupiunt. Sic sanitas ab integro & libero excretionum dependet successu, isque, quot & quales exigat condi-

PROOEMIUM.

6  
 tiones, si bene & legitime se habere debet, res est, quae neminem medicinae paullulum gnarum fugere potest. Eodem modo comparatum est cum excretionibus sufflaminatis, vel impeditis, vtpote quae a variis proficiscuntur caussis, varias pro sua diuersitate conditiones constituentibus. Ad has plerique attentionem suam non dirigunt, suo se satisfacisse officio putantes, si excretio impedita tantum restitatur, nec unquam curantes, qua ratione & qua prudentia hoc sit perficiendum, vnde quodlibet hoc sine indiscretim adhibent remedium, minime vero ad effectum, an congruus, vel incongruus sit, respiciunt. Merito igitur ab horum sententia recedendum eamque fugiendam esse existimo, certissime persuasus, excretionibus impeditas, vel plane sublatas, diuersum pro caussarum & circumstantiarum diuersitate requirere restituendi modum, eumque, qui hoc obseruat, caute & provide agere. Quum igitur mihi de argumento, quod Dissertatione mea solemn  
 ni



ni pertractetur, cogitanti, *aluina* prae ceteris *excretio* disquisitione digna fuerit visa; nullus dubitavi, hoc thema pro virili hac diatribe profequi. Prius vero quam ipsi rei dicendae me accingo, praemonendum esse duxi, me potissimum demonstraturum esse, quomodo haec excretio adeo necessaria, si in morbis impedita, vel plane suppressa fuerit, prudenter & prouide promouenda sit. Non leuibus rationibus commotus hunc in me, in quo perficiendo meas qualescunque periclitarer vires, suscepi laborem, siquidem hoc argumentum partim maxima se in praxi utilitate commendat, partim etiam ex professo, vt aiunt, a nemine, quantum mihi quidem constat, pertractatum fuit. Ordo, quem in hocce themate explanando eligere mihi placuit, eo maxime reedit, vt morbos frequentiores & praecipuos considerem methodumque prouidam, alui in iis obstructionem referandi, ostendam, paucis simul adductis, quae de re mediis aluum soluentibus eorumque modo

do agendi fusius dici possent. Neque id mihi vitio verti posse metuo, cum alui obstructio a multis admodumque distinctis proficisci possit causis, & tam pro harum diuersitate, quam morborum complicatorum indole diuersam exigat medelam, singulis morborum speciebus accommodatam, ita, vt labor susciperetur frustraneus, si permulta de remediis aluum laxantibus adducerentur. Propterea consultius me acturum iudicauit, si prouidam methodum, in quibuslibet morborum speciebus aluum referandi, subiungerem, & rationes simul adderem, quibus commotus, non nisi peculiaria quaedam commendauit remedia. Faxit Numen supremum, vt labor hic qualiscunque in Eius gloriam aliorumque & proprium meum emolumentum ex voto succedat.





§. I.



Ad corporis humani vitam & sanitatem *Quid sit al-*  
conseruandam non actionum solum *ui excretio.*  
vitalium liberum requiri exercitium, sed  
earum etiam, quae humores in certis  
organis secretos & munere suo perfun-

ctos foras eliminant, & *excretiones* vocantur, veri-  
tas est extra omnem dubitationis aleam posita. Tan-  
tum abest, vt *aluina excretio* ad has sit referenda, vt  
potius post transpirationem primas teneat partes.  
Eius vero nomine illam intellectam velim *excretio-*  
nem, qua, quae in intestinorum tractum delata sunt  
atque in eo collecta, per intestinum rectum eua-  
cuantur.

§. II.

Consideranti, quae ad intestinorum canalem ad- *Quae per al-*  
fluunt, atque in eo contineri solent, multa & varia *ui excretio-*  
sefe offerunt. Alimenta, quaecunque sint, siue *nem abeant.*  
esculenta, siue potulenta deglutita, ad ventriculum,  
atque ex hoc, postquam digesta & soluta fuerunt,  
ad duodenum deferuntur, vbi vltcrius elaborantur  
atque in chylum, corpori humano proprium &  
B con.

congruum, magis magisque conuertuntur. Alimenta sic mutata ad intestina propelluntur tenuia, in quibus chylus ex iisdem praeparatus per vasa lactea ad massam transfertur sanguineam; feces ab his relictae iter suum motus peristaltici ope ulterius prosequuntur, donec ad intestinum perueniant rectum. Non sola autem sunt ingesta, quae ad loca haec deferuntur, sed saliuæ, mucus ex interna oris, palati, faucium, oesophagi superficie secretus, liquor gastricus, bilis, succus pancreaticus, liquor ex glandularum in intestinis copiose disseminatarum orificiis stillans, adsuntis admiscetur & hic commorantur. Hæc omnia digestionem peracta & a chilo separata, relinquunt partes crassiores, ad ingressum per vasa lactea subtilissima ineptas, quae cum liquorum, quos modo commemorauimus, munere suo perfunctorum reliquiis commixtae, feces constituunt *aluinas*, per intestinum rectum euacundas, vt pote inutiles corporique noxias.

## §. III.

*Excretio aluina impedita morbos gignere potest.*

Hominem, quando aluina non legitime succedit excretio, non bene valere, sed secundam eius, si qua adhuc est, valetudinem sensim sensimque quandam pati iacturam, etiam si omnium reliquarum actionum vigore fruatur, adeo euidenter iam per experientiam comprobatum est, vt de eo dubitari nefas omnino sit. Neque etiam causa eiusmodi prorsus noxii effectus, intuitu eorum, quae §. II. exposuimus, diligenti scrutatori obscura atque inuentu difficilis esse potest, cum, quae superflua, in-

utilia,

utilia, noxia, atque eam ob caussam e corpore eii-  
cienda sunt, intus retineantur & morborum gi-  
gnendorum caussam & fomitem subministrant. Al-  
uus vero, vel per se sola, reliquis partibus actiones  
suas ex asse prosequentibus, suo non perfungitur  
munere, vel in morbis, quibus homo laborat, prae-  
standa non praestat, atque id vtrumque corpori sa-  
no vel morbis adflucto magnum infert detrimentum.

## §. IV.

Postquam perspicue, vt mea quidem fert opi- *Quid sit*  
nio, demonstratum dedi, aluum munus suum non *cauta alui*  
rite obeuntem tam praesentem labefactare sanita- *reseratio.*  
tem, quam morbos producere, & productos exa-  
cerbare, §. III. antequam nunc leges, quibus aluus  
in morbis obstructa provide sit reseranda, ostendam,  
indicandum esse duxi, me per cautam alui solutio-  
nem intelligere eiusmodi alui subductionem, quae  
indoli morbi accommodata est, eiusque vim si non  
tollit, saltem minuit & aegro ad sanitatem reducen-  
do optime conducit.

## §. V.

Vt autem clarius innotescat, quaenam inpri- *Quorsum*  
mis circumstantiae a Medico sint obseruandae, si al- *maxime in*  
ui excretionem impeditam provide restituere velit, *cauta alui*  
in genere statim praemonendum est, aluum ob- *reseratione*  
structam ordinarie non nisi certo tempore & re- *si respicien-*  
mediorum beneficio reserari posse. Quum igitur *dum.*  
iam de cauta alui in morbis adstrictae solutione age-  
re mecum constituerim, vtique ad hanc secure &  
debite perficiendam, quam maxime respiciendum

esse puto, primo ad morbum ipsum, deinde ad tempus, quo euacuatio ista est instituenta, tum ad medicamenta, quibus hoc obtinetur, postea ad eorum applicandi modum, & tandem ad rationem, qua eadem porriguntur.

## §. VI.

*Ratio per-  
tractationis.*

Medici morbos diuiderunt in *acutos & chroni-*  
*cos.* Priorum nomine intelligunt eos, qui intra bre-  
ue temporis spatium vel ad mortem, vel ad sanita-  
tem aegri terminantur: ad posteriorum vero clas-  
sem omnes illos referunt morbos, qui diutius aegros  
adfligunt, ita vt nec sanitas mox redeat, nec repen-  
tina etiam mors insequatur. Huius ergo differen-  
tiae, vt vt notissimae alias, eam maxime ob ratio-  
nem iniicienda iam erat mentio, quoniam secundum  
illam diversus omnino modus, aluum obstructam  
referandi, feligendus & adplicandus est.

## §. VII.

*De diuisione  
medicamen-  
torum al-  
uum soluen-  
tium.*

Quum etiam porro in hoc negotio prouide ex-  
pediendi remediorum sit habenda ratio, §. V. hinc  
vtique prius dispiciendum erit, quae & qualia con-  
ducant ad salutarem huncce finem rite & conue-  
nienter obtinendum. Haec ipsa vero in tres  
commode diuidi possunt classes, quarum prima  
ea, quae corpus valde adficiunt & commouent,  
sive potius aluum vehementer sollicitant, & *drasti-*  
*corum* nomine nota sunt, complectitur; altera ve-  
ro talia sub se comprehendit medicamenta, quae  
sub actione sua corpus non multum turbant, & *ecco-*  
*protica* nominantur, & postrema ea continet, quae  
inter

inter haec medium obtinent locum, nec vi adeo valida, quam drastica, nec minori, quam eccoprotica, operantur.

## §. VIII.

Principium, cuius ope drastica purgantia suam *Drastica in alui obstructione reseranda non sunt adhibenda.* perficiunt operationem, est subtile sal acre, quod nerueas ventriculi & intestinorum membranas exili etiam in quantitate stimulando, spasticas constrictiones excitando atque eosdem motus consensus beneficio ad reliquas partes propagando, varia eaque graua & periculosa pathemata, vt cardialgias, praecordiorum anxietates, ventris tormina, cum copiosis alui deiectionibus; singultum, vomitum, conuulsiones & intestinorum inflammationes, producit. Cum ergo adeo vehemens & periculosa fit drasticatorum purgantium actio, non inique agit Medicus prudens & circumspectus, si vel plane eorum vsu abstinet, vel raro eadem in vsum vocat. Sunt vero eius generis remedia Colocynthis, gumi guttae, elaterium, scammonium, trochisci alhandal, radix ialappae, & praecipue eius resina, huiusque generis alia, quae Illustr. b. m. HOFFMANNVS *Med. system. Tom. III. Sect. II. pag. 490.* fufius recenset.

## §. IX.

Missis igitur drasticis talibus purgantibus, vt *De eccoproticis.* pote maxime infecuris & saepius perniciosis, ad mitiora & inprimis ea transeundum erit, quae eccoprotica vocantur. Horum nonnulla in intestinorum membranas atque in iis contenta lubricando agunt,

quo pertinent olea animantium recentia, vt butyrum infusum, lactis cremor, iuscula animantium pinguia, medullae & medullofae eorum partes, pinguedines & bilis. Alia leuiter stimulando aluum laxant, vt sunt salia, v. g. sal culinare, Ebshamense, Sedlizenfe, acidularum Egranarum & thermarum Carolinarum, nitrum, cryftalli & cremor tartari, terra foliata tartari & magnesia. Alia tam leuiter stimulando, quam lubricando operantur, vt sunt, manna, cassia, tamarindi, polypodium, folia fenae in infuso, rhabarbarum & id genus alia vbique iam nota & cognita.

## §. X.

*Veterum*

*sententia de  
alui solutio-  
ne in morbis  
acutis.*

His ita praemissis initium nunc a *morbis acutis febrilibus*, quorum nomine cum Illustr. BOERHAAVIO, *Aphorism. de cognosc. & curand. morb. §. 770.* intelligo *morbos cum febre acuta & partium inflammatione stipatos*, facere, simulque methodum, qua aluus in iis adstricta caute referari queat, debite exponere lubet. Eam vero aperiendam esse satis me demonstratum dedisse puto §. III. in primis cum experientia, qua nihil verius & certius est, id satis superque confirmet, vtpote quae aegros eiusmodi morbis adfectos, non tanta symptomatum vehementia, tantoque eorum numero vexari, si aluus munere suo quadantenus saltem fungitur, quam si est pertinaciter adstricta, perpetuo docet. Quare in re si veteres, & eorum principem, HIPPOCRATEM, consulimus, dogmata non leuioris momenti eorumque obseruationes non contemnendas esse



esse deprehendemus, siquidem hic ipse *aphorismo XXIV. Sect. I.* in acutis affectionibus raro & non nisi in principio purgantibus vtendum, atque hoc diligenti cum praemeditatione faciendum esse, ingenue adserit. Quanquam autem hic aphorismus etiam ad acutos morbos sine febre extendi queat, non inique tamen ad febres acutas, ab inflammatione inductas, eundem simul adplicari posse facile adparet. Ne vero aliorum cogitata proferre meumque iudicium suspendere videar, mentem meam clarius in iis, quae nunc sequuntur, explicabo.

## §. XI.

Morbos, de quibus mihi sermo fuit, certis diebus, qui *critici* vocari solent, solui, magnamque statui aegrorum praesenti inducere mutationem, res est multiplici obseruatione iam iam confirmata. Motus tunc temporis in corpore aegrotantis euenientes ad certum tendunt finem & saepius cum aegri salute excretionem quandam promouent, ita, vt imprudenter is ageret, qui eiusmodi motus medicamentis turbare & peruertere vellet. Grauiusculum vtique tali morbo adfectis accersitur ab ignaris periculum, & saepius, quod maximum est, cum vitae, quae alias seruari potuisset, iactura, si tunc nimis commouentibus & expellentibus aegrotum corpus adgrediuntur. Immo omnes euacuationes in febribus acutis cum inflammatione coniunctis, si imprudenter turbantur & supprimuntur, illas non solum grauissime exasperant, sed & pluribus aliis facile subsequenter fonticis pathematibus

vias

*Aluus in morbis acutis febrilibus obstrueta a Medico circumspicito die critico non est referanda.*

vias aperiunt. Quae cum ita sint, aluum in eius generis morbis adstrictam plane tunc temporis, quo crisis instat, non esse relaxandam, arbitramur, cum fieri non possit, quin remedium, hoc sine aegrotanti exhibitum, motus aliorum determinat, quomodo-cunque etiam illud sit comparatum, adeoque certissime effectum producat aegro funestum. Quod si enim causa morbifica solius naturae bene valentis beneficio largo per cutim sudore optime eliminatur, & motus iam eo sunt directi, ii, si vel leni laxante ad intestina revocentur, finem suum minime adsequuntur, sicque fatalem morbi exitum plerumque inferunt. Immo, si etiam vel maxime morbi acuti febrilis per aluum, quod tamen raro contingit, solutio instaret, idem tamen sequeretur effectus vel plane funestus, vel saltem periculosus; id quod nemini certe mirum aut plane a ratione absolum debetur, si modo aequa animi lance perpendit, motus tunc temporis sponte ad intestina vergentes, si paullulum remedio excitarentur & magis ad hunc locum determinarentur, alium, quam sine isto fuisset sequutus, effectum, eumque aegro fatalem, producere posse. Clare igitur & perspicue inde elucescit, alui, quam morbi cum febre acuta & inflammatione coniuncti secum ferunt, obstructae referacionem, si caute sit instituenda, diebus criticis non esse suscipiendam. Iam vero cum aluina excretio in morbis modo dictis impedita, die critico non sit restituta, si quis caute agere velit, eam extra diem criticum promovendam esse facile concludi poterit.

§. XII.

## §. XII.

Restat nunc, vt mentem meam, de remedio-  
 rum aluinam excretionem promouentium & in mor-  
 bis acutis febrilibus adhibendorum, selectu haben-  
 do, magis declarem. Drastricorum vsum plane reii-  
 ciendum esse clarum est, quum generatim eorum  
 effectus cum sanitatis & vitae detrimento sit coniun-  
 ctus §. VIII. Maximum vero, quod Medico proui-  
 do & rationali eiusmodi remediorum vsum suspe-  
 ctum reddit, argumentum, in ipsa horum morbo-  
 rum indole & symptomatum conditione fundatum  
 est, vtpote quorum praecipua in eo consistunt,  
 quod sanguis & humores cursu per vasa ferantur  
 rapidissimo, partes solidae continuo fere actiones  
 suas cum impetu exercent, spasmodicis adfligan-  
 tur constrictionibus, corpus ingenti & intolerabili  
 excrucietur aestu, atque omnia auctiori agitentur  
 motu. Sub hoc motuum exorbitantium & sym-  
 ptomatum admodum auctorum choragio, qui dra-  
 sticis aluum mouere vellet, nihil sane aliud efficeret,  
 quam vt symptomata exacerbando, fatalem morbi  
 catastrophen acceleraret, aegrumque, qui alias serua-  
 ri potuisset, morti traderet. Neminem fore, qui  
 hac de re dubitet, existimo, dummodo purgantia  
 fortiora spastica intestinorum constrictiones exci-  
 tando actionem absoluere suam, & has ad partes  
 propagari dissitas, totumque genus neruosum vi  
 consensus ad eosdem motus anomalos irritari, con-  
 siderauerit, aequa simul mente ponderans, quod  
 spasmus non ordinatum solum sanguinis & humo-  
 rum

*Drastrica ad  
 aluum in  
 morbis acu-  
 tis febrilibus  
 obstructam  
 caute rese-  
 randam non  
 sunt adhi-  
 benda.*

C

rum progressum perturbet & peruertat, sed illos etiam ad certam partem cum impetu ferat atque stagnationes & inflammationes producat.

## §. XIII.

*Eccoprotica ad aluum in morbis acutis febrilibus caute soluendam adhiberi possunt.*

Si aluus in febris acutis cum inflammatione stipatis ita est aperienda, vt nullum exinde damnum aegro accersatur, a drastorum vsu simpliciter omnino abstinendum §. XII. Cum vero tria tantum sint remediorum aluum subducentium genera, scilicet drastica, eccoprotica & media §. VII; hinc duo tantum posteriora, quae aluinam excretionem, his in morbis adstrictam, caute promouendi sine vsurpari possunt, supersunt. Cum vero limites accurate nec possint cognosci, nec determinari, quibus circumscriptum medicamentum, mediae inter drasticum & eccoproticum indolis, nec adeo vehementem, nec adeo debilem producat effectum, securius omnino esse iudico, si sola ad aluum his in morbis soluendam adhibeantur eccoprotica, quam media, (quorum effectus, in primis quoad specialem suum gradum, nos adhuc latet,) ita tamen, vt illorum quantitas augeatur, si maior desideratur operatio.

## §. XIV.

*In cauta alui in febris acutis inflammatoris adstrictae resolutione eccoprotica non sub pul.*

Si quo in morbo, vbi aluus adstricta prudenter est reseranda, Medicum, imprudentiae crimen a se remoturum, modi, quo porriguntur & applicantur medicamenta, rationem habere oportet; in morbis certe acutis, cum febre & inflammatione coniunctis, ne hoc negligat, ipsi curandum est. Ea ex eccoproticis eligere, quae sub pulueris forma aegro, cui aluus

alius tuto & circumspecte referenda est, exhiberi  
 possunt, multa dissuadere videntur. Quae etenim  
 in pulueris formam redacta ab aegris assumuntur,  
 prius actionem suam, quam in ventriculo sunt solu-  
 ta, exserere nequeunt, vnde nihil certius omnino  
 euenire posset, quam vt non perfecte in ventriculo,  
 vel saltem ex parte citius, ex parte tardius solueren-  
 tur, inprimis cum ad quamlibet solutionem pera-  
 gendam humidum requiratur sufficiens, quod vero  
 in ventriculo ab aestu febrili facile abigitur & diffi-  
 patur. Haec itaque impedire possunt, quo minus  
 pulueres laxantes effectum qualemcunque, aut sal-  
 tem etiam desideratum, exserere queant. Neque  
 iste etiam hic conducit modus, quo ex leniter laxan-  
 tibus pilulae conficiuntur aegro exhibendae, qua-  
 les sunt pilulae balsamicae Hoffmannianae, Stahli-  
 nae, Becherianae, quippe quae aequae ac pulueres so-  
 lutionem ad actionem suam praestandam necessari-  
 am, & difficulter ob rationes modo allegatas in ven-  
 triculo obtinendam, exposcunt; quorsum etiam ac-  
 cedit, quod eas saepius effectum plane nullum prae-  
 stare, vel si praestiterint, intestina exsiccare & hu-  
 moribus exaestuationem inducere, experientia do-  
 cuerit. Pilulae, quibus aloë largius admixta est,  
 plane hic sunt reiiciendae, quoniam sanguinem &  
 humores, in eiusmodi morbis iam vehementi mo-  
 tu exagitaros, magis commouent, atque adeo fu-  
 nestos producunt effectus. Denique essentiarum,  
 si vel maxime leniter aluum mouere dicantur, vsum  
 his in morbis, si cum aegri emolumento alius est

*uerum, essen-  
 tiarum & pi-  
 lularum for-  
 ma sunt par-  
 rigenda.*

aperienda, plane reiicio, satis superque iam conuictus, eas sine maximo detrimento nunquam adhiberi posse, hanc inprimis obrationem, quoniam intuitu menstrui spirituosum, quod maxima ex parte eas ingreditur, vehementiorem excitant orgasmum, eoque ipso plus detrimenti, quam emolumenti, aegris adferunt.

## §. XV.

*Eccoprotica  
optime in  
morbis febrilibus acutis  
ea in forma  
exhibentur,  
qua eorum  
symptomata  
non augent,  
sed minuunt.*

Optime quidem noui, multos adhuc alios, quibus medicamenta aluum subducentia aegris exhiberi possunt, modos superesse, quorum similiter mentionem iniicere possem; ne vero in iis recensendis & reiiciendis nimis sum longus, ad illos potius progredior, quos prae omnibus istis in huius generis febribus conuenientiores fore iudico. Constat autem iam iam, quod in hisce morbis partes solidae, & inprimis nerueae, motibus solito intensioribus & spasmodicis grauius affligantur & concutiantur, insuper etiam sanguis & humores validissimo per uasa circumferantur motu, corporisque tam interiora, quam exteriora, ingenti & continuo saeuiente aestu prorsus fere exsiccentur, adeoque liquido exinde adparet, quod omnes illae medicamentorum laxantium formae, quae symptomata ista exacerbant, plane reiiciendae, & e contrario tales eligendae sint, quae ea, si non minuunt, saltem non augent, aut peiora reddunt. Si enim obstructio alui morbi vim sustinet & auget §. III, utique per se patebit, quod eadem hac ratione soluta illam vel tollere, vel ad minimum infringere optime & securissime

sine valeat, cum sublata, vel imminuta causa, effectus auferatur, vel de vi sua remittat.

## §. XVI.

Ex omnibus ergo hactenus vsitatis modis ecoprotica exhibendi, pro hoc scopo obtinendo merito seligimus & commendamus *clysteres, demulcentes* inprimis, & *potiones leniter laxantes*. Huius enim generis remedia, dum nullam exserunt stimulantem aut irritantem virtutem, adeoque nullo modo excedentes iam & auctiores motus ulterius prouocant & exasperant, sed potius stricturas nimias fibrarum relaxant, humidumque deficiens ex parte ad minimum restituunt, ac blandiori saltem ratione aluum sollicitant, optime omnino symptomatum vrgentium vim eneruare ac mitigare valent, vt nullum exinde aegro subnascatur damnum, siquidem idcirco etiam in ipsis exanthematicis febribus, maxime variolis, ad aluum iusto diutius occlusam referendam, omnibus aliis palmam si non praeipiunt, tamen dubiam reddunt, quemadmodum pluribus id demonstrarunt *Ant. SIDOBRE, Tr. de Variol. & morbill. Cap. XIV. p. 206. & 208. & Illustr. b. m. BERGERVS, Dissert. de vsu Venae sectionis & Clysterum in curatione Variolarum §. XXVII.*

## §. XVII.

Vt vero dubia, quae forsitan alicui de effectu clysterum demulcentium & potionum leniter laxantium in mentem venire possent, remoueamus, ad ea, quae nunc sequuntur, attendendum esse velim. Aut eadem simplicia, quae potiones ingrediuntur,

*Ad aluum  
caute referendam in  
morbis acutis inflam-  
matoriis ecoprotica sub  
forma clysterum demulcentium & potionum leniter laxantium sunt porrigenda.*

*Scholion de effectu clysterum & potionum laxantium.*

ad clysteres, si fieri potest, conficiendos adhibentur, aut quae in potionibus laxantibus porriguntur, maiori vel minori vi, quam quae clysterum beneficio corpori applicantur, operationem suam absoluunt. Si clysteres & potiones laxandi sine adhibitae ex similibus conficiuntur, facile concludi potest, clysteres multo maiorem, citiorem & meliorem producere effectum, quam potiones, cum statim ad ea loca perueniant, in quibus effectum suum exferere possunt, nec tot & tantis mutationibus actionisque suae impedimentis, quot & quantis potiones expositae sunt, subiiciantur. Hae enim, ore adsumendae, prius ad ventriculum deferuntur eumque citius actione sua adficiunt, quam id in reliquo intestinorum longo canali, per quem transeunt, praestare valent. Admiscentur praeterea humoribus his in locis commorantibus, vnde aequae, ac accedente harum partium actione, ita mutantur, vt nullum, vel saltem insufficientem producant effectum; quare vtrique hoc in casu praestat clysteres potionibus praeferre. Si vero ea, quae sub potionum forma in corpus deferuntur maiori agendi vi, quam quae ad clysteres recipiuntur, sunt instructa, maiores in primis viis producent effectus & corpus fortioribus agitabunt motibus, quam clysteres minori vi agentes, ita, vt tunc, quando mitius tantum corpus purgando commouere intendimus, clysteres potionibus sint anteposendi. Denique, si potiones minoris sunt efficaciae, quam clysteres, quilibet ex iis, quae paullo ante diximus, facili negotio perspiciet, si aliu-  
na



na excretio impedita est restituenda, clysteribus primas esse praeportionibus tribuendas partes. Interim tamen potiones leniter laxantes & sufficienti ad effectum suum consequendum vi instructae, hanc prae clysteribus praerogatiuam habent, quod impuritates in toto ventriculi & intestinorum tractu collectas corporique infensas, euacuent, cum e contrario clysteres, ad singula haec loca non peruenientes, hoc non nisi minori in gradu, & saltem ex parte perficiant.

## §. XVIII.

Clysteres demulcentes varia ex iis, quae §. IX. *Quare oleosi clysteres ad aluum in morbis acutis febrilibus caute referendam non sint adhibendi.* commemorauimus, ingredi possunt. Pertinent huc butyrum insulsum, lac, serum & cremor lactis, iuscula animantium pingua, medulla & medullofae partes, oleum lini, amygdalarum, oliuarum, decocta ex vegetabilibus emollientibus, vt malua, althaea, parietaria, chamomilla, sambuco, hordeo, auena excorticata, melle & id genus aliis, constantia, quae recensere nimis longum foret. Cum ergo singula haec minime stimulantem, aut irritantem, sed potius lenientem & spasticas constrictiones blande demulcentem exferant virtutem, hocque respectu aluum obstructam placide referare queant, nullum sane superesse videri possit dubium, quin & in hisce febrilibus, ad eundem scopum obtinendum, talia sub hac forma tuto in usum vocari queant. Ast, quoniam per experientiam abunde iam constat, pinguedines & olea vegetabilium & animalium simplicia, per infusionem aut eliquationem parata, eius esse indolis, vt calori exposita facile rancorem concipi-

cipiant, & alienam noxiamque induant naturam, illud autem a decoctis vegetabilium emollientium non sit expectandum, merito a clysteribus demulcentibus, qui solis ex oleis vel pinguedinibus parantur, in morbis modo dictis abstinendum est, cum ingenti aestu aegrum adffigant, illorumque in locum decocta potius, ex vegetabilibus emollientibus parata, sunt substituenda. Interim minime oleosorum usum in clysteribus plane reiiciendum & omittendum esse censeo, sed potius ea similiter commendari & in usum vocari posse lubens profiteor, si modo recentia sint, nec in nimis larga, sed moderata adhibeantur quantitate, gradusque aestus febrilis mitior adsit.

## §. XIX.

*Clysteribus demulcentibus, in morbis acutis febrilibus adhibendis, sal commune & nitrum debite admisceri possunt.*

Cum clysteres demulcentes intestinorum membranas lubricando atque relaxando agant §. IX, & prae reliquis in morbis acutis febrilibus optime conducant, si aluus adstricta caute est referanda §. XVI, non inique agitur, si eiusmodi clysteribus tunc simili causa, ad eorum effectum quadantenus augendum, pauxillum salis communis, aut huius generis aliud, vel, impuritates in intestinorum tractu collectas detergendi scopo, mellis exigua portio, vel, intensum aestum refrigerandi fine, nitrum debita quantitate admiscetur; id quod, si in morbis acutis febrilibus pro circumstantiarum ratione vim morbi, si non tollit, saltem imminuit, sicque ad restituentiam aegri sanitatem optime confert. Iam vero eiusmodi alui subductio caute peragitur §. IV, ad-  
coque

eoque non immerito clysteribus demulcentibus, in morbis acutis febrilibus aluum adstrictam caute referandi sine adplicandis, pro circumstantiarum ratione mel, sal commune, nitrum, idque genus alia, debita in quantitate adici possunt & debent.

## §. XX.

Clysteres itaque demulcentes, quorum beneficio aluus in morbis acutis febrilibus adstricta debita cum prudentia est referanda, optime praeparari possunt ex lacte cum aqua diluto, vel sero eiusdem, decocto rasurae cornu cerui, pedum veruecinorum & vitulinorum, auenaceo, radice althaeae, liliorum alborum, florum chamomillae, verbasci, sambuci, & quae ex aliis similibus huc referri possunt, quibus stimulandi causa sal commune, detergendi sine mel, & refrigerandi scopo nitrum & oleosa, ut oleum amygdalarum dulcium, lini, oliuarum, moderata in quantitate adicere licet, §. XVI. XVII. & XIX. Sed ne quis me vitii forsitan arguat, monendum esse duco, haec, quae de clysteribus demulcentibus modo adduxi, non nisi generatim de morbis cum acuta febre & inflammatione stipatis esse intelligenda, neque omnia omnino sine discrimine vlllo, sed certo eorum selectu habito, ad quaslibet horum morborum species, pro nouarum accedentium circumstantiarum ratione, esse adplicanda.

## §. XXI.

Postquam mentem meam de clysterum demulcentium in morbis, qui febrem acutam atque inflammationem secum ferunt, usu & praeparatione,

D

*Ex quibus clysteres demulcentes in cauta alui in morbis acutis febrilibus adstrictae resolutione sine conficiendi.*

*Ex quibus ingredientibus potiones satis leniter la-*

*xantes, in febribus acutis inflammatoriis adhibenda, confici possint.* fatis dilucide, vt opinor, declarauī, ea nunc, quae ad potiones leniter laxantes spectant, subiungam. Tales autem omnium optime ex manna, rhabbarbaro, cassia, tamarindis, foliis fennae sine stipitibus, passulis minoribus, in aqua vel destillata, vel communi solutis, conficiuntur, quibus stimuli loco tartarus tartarificatus, cremor tartari, & si aestum temperare intendimus, nitrum, debita in quantitate adiici possunt. Cum vero eiusmodi potiones leniter laxantes aluum in febribus acutis inflammatoriis clausam placide & absque vllō motuum augmento referare valeant, idque sic caute fiat §. XVI; hinc easdem ita praeparatas optime hic conuenire satis superque liquet.

## §. XXII.

*In cauta alui in morbis acutis febrilibus adstrictae referatione potiones leniter laxantes in principio & declinatione conueniunt, clysteres vero n̄ statu.* Superfunt iam cautelae quaedam, a Medico, quantum fieri potest, circa aluum in morbis acutis potionum & clysterum ope referendam, obseruandae, quas & quae de his dici possunt, praeditis statim subiungere lubet. Nonnunquam, immo saepius accidit, vt aluus in principio & declinatione morbi acuti inflammatorii sit obstructa eamque ob causam caute referanda, vnde, vtrum hoc clysterum demulcentium, an potionum leniter laxantium, quae descripsimus, beneficio efficiendum sit, quaeri potest. Ego perpendens, fordes atque impuritates, in ventriculo atque toto intestinorum tractu collectas, vim morbi acuti febrilis in eius progressu exacerbare, declinante vero hoc morbo eius reliquias corpori inimicas ita augere, vt foecunda multo.

multorum malorum mater euadere possint, totum ventriculi & intestinorum tractum ab iisdem liberandum esse iudico, quo fine, cum id clysteribus impetrari nequeat, §. XVII. potiones leniter laxantes ante descriptae §. XXI. sunt adhibendae. Morbus vero febre acuta & inflammatione aegrum adfligens atque in statu constitutus, eiusmodi ventriculi & intestinorum euacuationem, quae potionum ope suscipitur, non commode perfert. Haec etenim euacuatio paullo maiori vi, quam quae a clysteribus expectanda est, peragitur, de quo certe nemo dubitabit, qui potionum & clysterum, quorum iam antea §. XX. & XXI. mentio facta est, compositionem agendique modum attentiori contemplatur mente. Huc quoque accedit, quod morbi eiusmodi status, prae reliquis eius temporibus, maiorem partium tam solidarum, quam fluidarum motum eiusque exacerbationem secum ferat, ita, vt facis superque conster, clysteres potius in statu morborum, acuta febre & inflammatione stipatorum, praeferendos esse.

## §. XXIII.

Ordinis equidem ratio iam postulare, vt de *Transitus ad febres exanthematicas.* morborum acutorum febrilium speciebus, phrenitide nempe, pleuritide, peripneumonia aliisque sigillatim agerem, ac insimul ostenderem, quomodo alius in iis adstricta caute sit referenda; sed, cum pauca, vel plane nulla sint, quae de modo adductis non possent ad quaslibet species adplicari, & labor hic, si vel maxime eundem susciperem, limites Dissertationis mihi constitutos nimium quantum excederet,

hinc illa iam omittenda & potius ad febres exanthematicas transeundum esse existimaui, cautelas, quae circa alui solutionem ibi sunt obseruandae, ostensurus.

## §. XXIV.

*Si aluus in febris exanthematicis caute est referanda, hoc non fieri debet tempore eruptionis.*

Aluum obstructam morbos praesentes tam exacerbare, quam noua mala producere, veritas est, quam satis iam demonstraui §. III. Febres exanthematicae sunt morbi, adeoque aluina excretio in iis impedita non maiorem solum sanitatis adhuc praesentis iacturam efficiet, sed multorum etiam malorum nascendorum fomitem & causam subministrabit, quae non nisi caute restituta hac excretionem tolli possunt. In cauta autem, quae in morbis suscipienda est, alui refectione, temporis imprimis est habenda ratio §. V, atque idcirco ad illud quoque in febris exanthematicis respiciendum erit. In his experientia teste obseruatur certum, quo exanthemata erumpere & externam corporis superficiem occupare solent, tempus, sub quo ordinarie aluus adstricta plane non est mouenda, nisi aegrum in maius vitae periculum coniicere ipsique plures & maiores morbos temere accersere velimus. Quacunque enim ratione aluus soluatur obstructa, dum materia exanthematica ad cutem est propellenda, fieri tamen nequit, quin motus eiusdem ad exteriora vergens intus determinetur, sicque efficiatur, vt materia ista insignis efficaciae, foras eliminanda, intra corpus detineatur atque ad partes eiusdem deferatur nobiliores, quas obsidens ad actiones suas, vitae &

& sanitatis conseruationi inferuientes, reddit ineptas, quod idem sane est, ac igni oleum addere morbique vim exacerbare. Idcirco non multa dicam de damnis variis, quae aegris a materia exanthematica, exitum molitura, sed in hoc actu impedita & retardata, ex multis Medicorum obseruationibus inducta fuisse constat, cum facis demonstratum dederim, alui in febribus exanthematicis adstrictae solutionem, si prouide est instituenda, non eo, quo exanthemata erumpere solent, tempore, sed extra illud esse suscipiendam.

## §. XXV.

Qui febres exanthematicas cum febribus acutis inflammatoriis probe comparat, maximam inter illas, tum ratione symptomatum, tum eorum vehementiae, deprehendet conuenientiam, ita, vt in multis circumstantiis, quae vtrisque sunt communes, eadem illarum ratio sit habenda. Nemo sane de eo dubitare potest, nisi, qui nulla horum morborum cognitione historica est instructus. In febribus exanthematicis aluus eodem, quo in acutis inflammatoriis, modo, caute referari potest. Iam autem in cauta reseratione alui, in morbis cum febre acuta & inflammatione stipatis obstructae, drastica purgantia sunt fugienda §. XII, horum in locum ecoprotica eligenda §. XIII, eaque non sub puluerum, essentiarum & pilularum, sed sub tali forma exhibenda, quae symptomata praesentia non auget, sed vel sine aegri noxa tollit, vel minuit §. XIV. XV, id quod clysterum demulcentium & potionum leniter laxantium beneficio impetratur §. XVI. Porro nec pure oleo §. XX. adduximus, con-

fecti, sunt adhibendi §. XVII. XIX, potiones iuxta modum §. XXI. descriptum sunt praeparandae, & in principio & declinatione magis conueniunt, quam in statu, utpote in quo clysteres maiori cum fructu adplicari possunt §. XXII. Si igitur aluus in febribus exanthematicis caute est referenda, similiter a drastis purgantibus est abstinendum, & eccoproticis potius utendum, & quidem in ea non nisi forma, cuius iam mentionem feci. Si denique aluus in febrium exanthematicarum statu caute est referenda, id clysteribus potius demulcentibus, quam potionibus leniter laxantibus, est perficiendum, quippe quae illis, non nisi in principio & declinatione adhibitae, utilitate antecellunt.

## §. XXVI.

*Num aluus  
in febribus  
exanthema-  
ticis eo tem-  
pore, quo ex-  
anthemata  
prodierunt,  
sit laxanda,  
nec ne?*

Deuenio nunc ad intricatam istam, de qua multum inter Medicos fuit disputatum, quaestionem: Num aluus in febribus exanthematicis eo tempore, quo exanthemata iam prodierunt, sit mouenda? Hanc controuersiam optime, ad circumstantias attendendo, dirimi posse iudico: scilicet aluus utique referari potest, si ab initio febris exanthematicae versus ad id tempus, quo exanthemata prodierunt, pertinaciter fuerit obstructa, & materia exanthematica, ad corporis superficiem externam iam iam propulsa, non mobilis, sed eius sit indolis, ut sedem, quam semel occupauit, non facile dimittat. Verum enim vero hoc sine clysteres demulceates ad mentem meam parati magis conueniunt, quam potiones leniter laxantes, quoniam illis potius, quam hisalui referatio



tio in febrium exanthematicarum statu est fuscipienda §. XXV. E contrario aluus non est referanda, si non adeo longum, quo est obstructa, praeterlapsum fuerit tempus, & materia exanthematica facile se a suo loco moueri patiatur.

## §. XXVII.

Quae de aluo in febribus exanthematicis caute referanda §. XXIV. XXV. & XXVI. demonstrauimus, sine vilo negotio ad febrium exanthematicarum species applicari possunt; quod, cum nimis prolixum foret, consulto multa omitam, & nonnulla tantum prae ceteris notatu digna attingam. Febris variolosa est sine omni dubio febris exanthematica & omnium fere frequentissima, vnde speciminis loco eandem iam adducere lubet. Cum ergo in febribus exanthematicis aluus eruptionis tempore non sit mouenda §. XXIV, sequitur, quod etiam in variolis eo, quo erumpunt, tempore, a similibus remediis sit abstinendum. Consentit mecum hac in re Illustris b. m. HOFFMANNVS, qui in *Med. system. Tom. IV. Part. I. Sect. I. p. 156. §. VIII.* scribit: *Variolarum eruptionis tempore, etiamsi, vti ordinario fieri solet, aluus sit siccor, ab omnibus eam mouentibus abstinendum, ipsis etiam enematis, quae tum retineri, retenta angustias parere maximas & demum post aliquot dies reddi noui.* Porro cum aluus in febribus exanthematicis eo tempore caute clysteribus demulcentibus referari queat, si per longum tempus suo iam perfuncta non fuerit officio, & exanthemata ad exteriorem corporis superficie

*Quae demonstrata sunt §. xxiv. xxv. & xxvi, applicantur ad variolas.*

perficiem propulsa sedem suam non facile dimittant §. XXVI, idem tunc temporis & sub iisdem circumstantiis in variolis fieri potest. Atque hac in re eiusdem quoque sententiae est Vir modo laudatus Illust. HOFFMANNVS, inquiens l. c. §. IX. *An suppurationis in variolis tempore in febre secundaria proficua sint aluum ducentia, inter Medicos Anglos fuit disceptatum. FREINDIVS peculiari scripto adstruxit variis obseruationibus utilitatem, ita tamen, ut non nisi decoctum mannae admittat. Nos etiam hanc methodum non improbamus, si adsunt, quae purgationem indicant, aluus nempe per totum morbi decursum sicca fuit & constricta, copiosa in suppuratione saliuatio, & pectus copia humorum obsessum, ut anxia inde & difficilis sit respiratio. Sed ego semper laxantibus praesferre soleo clysteres, emollientes alui-  
nas duras feces & educentes.*

## §. XXVIII.

*De cauta alui in purpura & petechiis reseruatione.*

Purpura & petechiae ab eiusmodi proueniunt materia exanthematica, quae ad exteriorem corporis superficiem propulsa, sedem fixam ibi non retinet, sed facile iterum vel leui saltem data occasione retrocedit. Cum igitur aluus non sit reseranda, si materia exanthematica facile se a sede sua remoueri patiatur §. XXVI, quisque inde facile perspicit, alui excretionem in purpura & petechiis impeditam esse differendam, donec maculae decidant. Quod si vero aluus his in morbis debito tempore est soluenda, id potionibus leniter laxantibus & clysteribus

bus demulcentibus a me descriptis perficiendum esse satis superque patet §. XXV. Multa quidem adhuc, quae horum morborum intuitu moneri possent, superesse puto, sed Dissertationis limites, quominus hoc faciam, prohibent, ideoque febres, quae ordine sequuntur, *intermittentes*, adgredior.

## §. XXIX.

Quantam vtilitatem alui in febribus acutis inflammatoriis & exanthematicis adstrictae cauta reseratio aegris adfert, tantum immo longe maius exinde febribus *intermittentibus* nascitur emolumentum, neque hoc vlli mirum videri potest. Nam aluus munere suo non rite fungens, tam praesentem labefactat sanitatem, quam morbos auget §. III. Hinc eosdem quoque in febribus *intermittentibus* producere debet effectus. Accedit ad hoc, quod eiusmodi febres non raro, sed frequentius, a cruditatibus viscidis in prima regione collectis ortum suum trahant, vel saltem sustententur & augeantur. Quod si igitur aluus his in morbis euacuatur, eorum causa, nutrimentum & fomes, quamuis non tollatur, tamen optime & securissime imminuitur.

## §. XXX.

Alui quidem in febribus *intermittentibus* solutio aegro admodum est utilis & necessaria §. XXIX; nihilominus tamen cautelae circa tempus inprimis, quo ea suscipienda est, sunt animaduertendae §. V. Res est multiplici obseruatione notissima, has febres certo tantum tempore aegrum inuadere & in vehementia sua exasperari, sicque peculiare sic dictos *paroxysmi*.

E

paroxysmos formare, extra illud autem hos non affigere & de vehementia sua plenarie remittere. Quodsi igitur in febribus intermittentibus aluus est ducenda, id non eo tempore, quo paroxysmus proxime instat, vel praesto est, suscipere licet, quoniam motuum iam praesentium exacerbatorum & peruersorum vehementia aueretur, sed tunc, quando aeger a paroxysmo immunis est, commode negotium tale suscipitur.

## §. XXXI.

*Quibus remediis aluus in febribus intermittentibus caute est referanda.*

Aluus in febribus intermittentibus variis remediis ita potest solui, ut earum vis, quamvis non tollatur, tamen valde imminuatur, & sanitati aegri restituendae admodum conducatur. Clysteres demulcentes & potiones leniter laxantes, quarum compositionem descripsi §. XVIII, in febribus acutis, inflammatoriis & exanthematicis eam ob causam commendare placuit, quoniam tam solidae, quam fluidae partes, vehementi agitantur motu & Medico maxime cauendum est, ne illum medicamento aluum subducentibus augeat & exacerbet. Cum vero aeger febre quacunque intermittente laborans eo, quo a paroxysmo liber est, tempore nunquam tanta motuum vehementia affligatur, quantum afficeretur, si febre acuta inflammatoria vel exanthematica detineretur, clarum inde est, non clysteres solum demulcentes & potiones leniter laxantes his in morbis adhiberi posse, sed alia etiam remedia maiori vi agentia tunc conducere. Immo, cum modo nominatae hae febres plerumque a cruditatibus visci-

viscidis, primam digestionis officinam obsidentibus, oriantur & sustententur §. XXIX, ea, quae aluum euacuant, remedia, prae ceteris vtilitate omnino se commendabunt, quae has impuritates incidendi & postmodum euacuandi virtute cetera antecellunt. Generatim vero omnia ista laxantia in eiusmodi morbis cum aegri emolumento possunt in usum vocari, quae totam ventriculi & intestinorum regionem peruadunt, & sordes in ista collectas foras eliminant.

## §. XXXII.

Salia, inprimis neutra & amaricantia, maiori *Recensentur remedia, ad aluum caute in febribus intermittentibus reservandam proficua.* dosi ad vnciam dimidiam sufficienti liquido soluta & exhibita, insignem vim cruditates viscidas, in primis vis haerentes, incidentem & aluum euacuantem possident, qualia sunt sal Ebshamense, Sedlicense, thermarum Carolinarum, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, terra foliata & cremor tartari, tartarus solubilis, sal ammoniacum depuratum, digestium Syluii, nitrum & id genus alia superius recensita §. IX. Non minus etiam salia alcalia adhiberi possunt, si cruditates acidae indolis esse constat. Simili quoque salutari efficacia se commendant rhabbarbarina, mannata & inprimis pilulae balsamicae ad mentem BECCHERI, STAHLII & HOFFMANNI concinnatae, quippe quae optime sordes primarum viarum per aluum eliminant, eoque meliorem exerunt effectum, si vna cum salibus offeruntur, vel digestiua praemittuntur. Clysteres vero demulcentes & potiones leniter laxantes tunc praeclarum exerunt effectum, si in intestinis crassis feces exsic-

catae & durae haerent. Iam in aluo in febribus intermittibus caute referanda eiusmodi conducunt laxantia, quae cruditates viscidas in primis viis haerentes incidunt & ita praeparatas euacuant, totamque ventriculi & intestinorum regionem a sordibus expurgant §.XXXI; adeoque liquido exinde adparet, quod modo recensita remedia summo cum fructu adhiberi possint, si aluus in febribus intermittibus caute est soluenda.

§. XXXIII.

*Si aluus caute in febribus intermittibus est referanda, una vel altera ante paroxysmum bora laxans exhiberi potest.*

Quamuisalui in febribus intermittibus solutio minime tempore paroxysmi sit instituenda §.XXX, nihilominus tamen saepius, circumstantiis id permittentibus, perquam utile est & quandoque etiam necessarium, si aliquot horis ante paroxysmi accessum lene aliquod laxans, inprimis salinum, tunc maxime, quando materia peccans copia peccat, aut sub ipsius morbi progressu noui in diaeta commissi fuerint errores, exhibetur. Sicenim vis & symptomata, quibus paroxysmus aegrum alias adflixisset, valde imminuuntur, & multa damna auertuntur, cum materia, paroxysmi impetum exacerbans, tali porrecto remedio correcta & ad euacuationem praeparata fuerit, siquidem etiam obseruationes Medicorum pluries docuerunt, quod sub illis circumstantiis egregium utique effectum tale laxans remedium, quatuor vel sex horis ante paroxysmum febris intermittens exhibitum, praestiterit.

§. XXXIV.

*Adplicatio*

Ea, quae §. XXIX. ad XXXIII. vsque adseruimus,



mus, si ad quaslibet febrium intermittentium species adplicantur, optime iisdem quadrare quilibet deprehendet. Ob spatii angustiam, quartanam tantum iam exempli loco sistam, simul ostensurus, quibus & qualibus remedijs Illust. b. m. HOFFMANVS, Vir fama & exstimatione in praxi medica celeberrimus, vsus fuerit, id quod ex proprijs Ipsius verbis, in *Med. system. Tom. IV. Part. I. Sect. I. c. II. p. 84.* contentis, exactius patet, quae sequentis sunt tenoris: *Primum fuit, vt ad contemperandos acidos salsos & liquandos viscidos succos, nec non obstructions referandas, ter vacuo die & vna vel altera ante paroxysmum hora cum haustu cereuisiae tenuis praerberem cochlear liquoris salini, ex sale tartari, ammoniaco, nitro, tartaro vitriolato, siue arcano duplicato, & cortice cascarillae, singulorum vncia semis, soluta in libris duabus aquae cardui benedicti, siue chamomillae vulgaris, adiecta denum drachma dimidia extracti croci.* Haec si quis perpendit & cum iis confert, quae §. XXII. a me fuerunt asserta, merationibus sat grauibus commotum, haec potius, quam alia commendasse remedia, satis superque cognoscet. Aliorum quoque medicamentorum, quorum l. c. mentionem feci, vtilitatem in reliquis febribus intermittentibus eiusdem Viri aliorumque testimonijs facile adstruere possẽ, nisi complura adhuc de morbis chronicis restarent dicenda.

## §. XXXV.

Antequam vero ad eosdem descendo, praemonendum esse duco, me, praeeunte Illustri b. m. HOFF-

*cauta alui  
solutione in  
morbis chro-  
nicis.*

M A N N O, morbos chronicos in *spasmodicos & laxos* distincturum, & ad hanc differentiam simul meam de cauta alui in talibus morbis solutione pertractationem esse adornaturum. Intellego autem sub nomine morborum chronicorum *spasmodicorum* omnes illos, qui partium solidarum, musculosarum inprimis, *spasmodica* contractione, vel vniuersali, vel particulari, aegros adfligunt, quales sunt *epilepsia*, motus conuulsiui, *spasmodici* vagi, *catalepsis*, malum *hystericum & hypochondriacum*, *singultus*, *asthma conuulsiuum*, morbi *spasmodici oesophagi* idque genus alii.

§. XXXVI.

*Vtilitas ac  
necessitas  
cautae alui  
solutionis in  
morbis chro-  
nicis, siue a  
strictura, siue  
a laxitate  
dependenti-  
bus.*

Cum aluus minus rite fungens officio qualem- cunque morbum praesentem adaugeat & exacerbet §. III, nullum plane est dubium, quin idem in mor- bis chronicis, siue *spasmodicis*, siue a laxitate de- pendentibus, praestet. Hi enim per longum tem- poris spatium aegros detinere solent, nec tam cito & facile curari possunt, praecipue, si continuo no- ua fit materiae peccantis accessio, quam iisdem ab aluina excretionem turbata suppeditari certum est & exploratum. Haec igitur cum ita sint, utique ex- inde tam necessitas, quam vtilitas, conuenientis al- uui solutionis in morbis chronicis, pariter clare satis cognosci & demonstrari poterit.

§. XXXVII.

*Si aluus in  
morbis chro-  
nicis spasma-  
dicis caute*

Morbi chronici, qui *spasms* sunt infesti, non permittunt, vt absque maiori aegrotantium damno eiusmodi remediis, quae *spasmos* magis adhuc au- gent,



gent, feignior aluus subducatur. Si autem turbata *est referenda, remediis,*  
& suppressa haec excretio talibus restituitur reme- *quae spas-*  
diis, quae vel plane nullas, vel leues modo excitant *mos non ex-*  
constrictiones spasmodicas, tunc omnino illa caute *citant, sed te-*  
ad statum reducitur naturalem §. IV, cum hac ratio- *niunt, est*  
ne vis horum morborum, quamuis non tollatur, ta- *subducenda,*  
men imminuatur & sanitatis restitutioni nullum ob-  
iciatur impedimentum. Non minus etiam magnum  
morbi & symptomatum leuamen illa afferunt medi-  
camenta, quae aluum ita aperiunt, vt spasmos, qui-  
bus corpus affigitur, demulceant, adeoque iis, si fi-  
eri potest, potissimum est vtendum, si caute aluus  
in morbis spasmodicis chronicis est referenda, si-  
mul vero eo respiciendum, ne nimis crebro adhi-  
beantur, sicque forsitan nimiam partium solidarum  
laxitatem relinquunt.

## §. XXXVIII.

Quum purgantia draustica in genere fere & vbi *si caute al-*  
que malos ac funestos producant effectus §. VIII, *uus in mor-*  
hinc eadem minime in vsum vocare licet ad aluum *bis chronicis*  
in morbis chronicis spasmodicis referendam. Ne- *spasmodicis*  
que hoc vlli mirum videri potest, cum iam iam ab- *est aperienda,*  
unde constet, quod ordinarie vehementes excitent *hoc non*  
constrictiones spasmodicas §. cit. simulque demon- *fieri debet*  
stratum sit, quod illa remedia ad aluum in similibus *purgantibus*  
morbis caute soluendam plane sint inepta, quae *drausticis.*  
spasmos grauiores inducunt §. XXXVII.

## §. XXXIX.

Quoniam falsa pleraque, & imprimis ea, quae *si aluus cau-*  
§. IX. recensita sunt, non solum solidas stimulant par- *te in morbis*  
tes

*chronicis  
spasmodicis  
est referan-  
da, non sunt  
adhibenda  
salia, nec so-  
la, nec ma-  
gna in quan-  
titate.*

tes easque ad contractiones spasmodicas irritant, sed hos etiam effectus maiori exferunt in gradu, si sola & larga in quantitate porriguntur, utique etiam exinde concludere licet, quod ab eorum usu, solitario imprimis & largiori, abstinendum sit, si impeditam in hisce morbis aluinam excretionem debite ac prudenter restituere volumus. Quodsi vero cum aliis convenientibus, & imprimis acrimoniam eorum quantatenus infragentibus remediis, sociata fuerint, tunc meliorem utique & securiorem inde expectare licet effectum, imprimis si in diluitori forma exhibentur, vel infusis aliis adpropriatis moderata in quantitate adiiuntur.

## §. XL.

*Laxantia  
mediæ indo-  
lis, si sola &  
largiter ad-  
hibentur, in  
morbis spas-  
modicis chro-  
nicis non  
conducunt.*

Quemadmodum igitur salia, quae ad eccoproticorum classem pertinent §. IX, nec sola, nec maiori in quantitate sunt adhibenda §. XXXIX, ita etiam mediæ indolis laxantia, solitarie & largius exhibita, ad aluum in similibus morbis provide referendam minus conducunt, quoniam, licet mitiora sint, quam drastica, tamen maiori virtute & efficacia, quam eccoprotica, sunt instructa, adeoque si hac ratione adhibentur, itidem spasmos satis vehementes excitant, & parum omnino a drasticatorum actione recedunt, quod imprimis de iis verum deprehendimus, si in concentratori quadam, nempe essentiarum aut pilularum, forma exhibentur, quae ipsa pariter maiores semper, quam in diluitori, commotiones inde excitari deprehendimus.

## §. XLI.

## §. XLI.

Enumeratis ita & explanatis iis remediis, quibus alui reſerationem in morbis chronicis ſpasmoticis minime perficere licet, ad ea merito tranſeundum, quae ad finem huncce magis apta & congrua fore iudicamus. Ex his inprimis potiones leniter laxantes eo, quem §. XXI. deſcripſi, modo paratae, aluum blande & ita quidem ſubducunt, vt nulli, vel leues tantum producantur ſpasmus. Eodem leni & ſecuro agendi modo ſe commendat rhabarbarum, quod in puluere cum debita quantitate ſalis cuiusdam medii, vt tartari vitriol. terrae foliatae tartari, cremoris tartari, &c. remixtum, itemque ſub elixirii forma cum liquore terrae foliatae tartari, vel ſolutione tartari tartariſati adhibitum, vel ſub infuſo vinoſo cum aliis conuenientibus remediis, vt foliis ſennae ſine ſtipitibus, agarico trochiſcato, herba epithymi, ſummitatibus centaurii minoris, radice pimpinellae, zedoariae, aliisque ordinatum, vel ſub extracti forma, in pilulas redactum, aluum optime & ſine noxa mouet. Neque minus etiam pilulae balſamicae ad mentem STAHLII & HOFFMANNI praeparatae, egregia & blanda aluum euacuandi virtute ſunt praeditae, inprimis vero clyſteres demulcentes, qui vel ex iisdem, quorum §. XX. mentionem feci, ingredientibus ſunt compoſiti, vel quoad maximam partem ex oleoſis & pinguedinoſis conſtant, aluum obſtruſtam ita aperiunt, vt ſpasmus, ſi qui adſunt, eximie mitigent.

*Quaenam  
remedia laxantia in  
morbis ſpasmoticis  
chronicis  
conducant.*

F

§. XLII.

## §. XLII.

*Quaenam  
ratione tem-  
poris in cau-  
ta solutione  
alui in mor-  
bis chronicis  
spasmodicis  
sint obser-  
uanda.*

Quemadmodum in qualibet cauta alui in mor-  
bis solutione temporis, quo illa suscipienda est, ra-  
tionem habere oportet §. V, ita idem quoque in mor-  
bis chronicis spasmodicis obseruandum erit. Hi  
enim contractionibus dolorosis aegros alio vehe-  
mentius excruciant tempore, alio autem minus, sic-  
que periodicas saepe formant exacerbationes, vnde  
non inique quaestio moueri potest, num aluus ad-  
stricta in ipso quoque paroxysmo dolorum, admo-  
dum saepe rebeli & chronico, solui queat, & qui-  
dem ita, vt vis, qua faeuunt, quamuis non tollatur,  
tamen imminuatur & nullum exinde aegro pertime-  
scendum sit periculum. Ego sane affirmative ad-  
eam respondere haud dubito, dummodo talia seligan-  
tur remedia, quae motus spasmodicos non exacer-  
bant, sed leniunt, vel plane demulcent. Sic enim ef-  
ficitur, vt eorundem vehementia simul infringatur,  
obtentoque hoc scopo ipsorum etiam morborum  
curatio magis adhuc facilitateur.

## §. XLIII.

*Clysteres de-  
mulcentes ad  
aluum caute  
in morborum  
spasmodico-  
rum paro-  
xysmo refe-  
randam sunt  
adhibendi.*

Ex vniuerso autem illo eccoproticorum reme-  
diorum adparatu aptiora & conuenientiora, ad cau-  
tam hancce alui refectionem praestandam, vix feli-  
gi & commendari poterunt, quam clysteres de-  
mulcentes, vel ita, vt §. XX. descripsimus, parati, vel  
ex pinguedinosis & oleosis potissimum compositi.  
Iam vero aluus in morborum spasmodicorum chro-  
nicorum paroxysmo eiusmodi inprimis remediis  
caute mouetur, quae prae ceteris virtute spasmos le-  
niendi

niendi & demulcendi pollent §. XLII, adeoque clysteres praecipue demulcentes sunt adhibendi, si aluus in morborum chronicorum, spasmis inferorum paroxysmo, caute est referanda.

## §. XLIV.

Supereft nunc, vt modum, quo aluus in morbis chronicis cum viscerum labe partiumque solidarum atonia coniunctis circumfpecte fit referanda, quantum spatii anguftia permittit, paucis quoque ostendam. Antequam autem id negotii fufcipio, hoc faltem animaduerti vellem, aluum his in morbis nec tam frequenter, nec tam pertinaciter plerumque esse obstructam, quam in affectibus spasmodicas contractiones fecum ferentibus; nihilominus tamen facpius suo non fungitur officio, experientia, optima rerum magistra, id vberius testante. Interim pluribus iam non lubet demonstrare, quam vtilis & necessaria fit aluina excretio in eiusmodi affectibus, cum tam vtilitas, quam necessitas eiusdem ex §. XXXVI. satis superque pateat.

## §. XLV.

In morbis chronicis ex laxitate partes solidae a tono suo sunt deiectae & debilitate quadam laborant. Quod si igitur aluus in iis suo non fungitur officio, & eiusmodi soluitur remediis, quae partibus solidis iam relaxatis maiorem inducunt laxitatem, vis horum morborum non imminuitur, sed augetur, aegerque difficilius ad pristinam restituitur sanitatem. Si vero talia ad aluinam excretionem restituendam adhibentur remedia, quae partes solidas roborant, vel, si hoc

*Initium tractationis de cauta alui solutione in morbis chronicis ex laxitate.*

*Medicamento suo sunt deiectae & debilitate quadam laborant, quae praeter virtutem laxantem partes solidas roborant, inferunt alui caute in morbis chronicis ex*

*laxitate sol-  
vendae.*

non praestant, easdem ad minimum ulterius haud relaxant, non potest non horum morborum vis infringi, & fanitas aegri facilius restitui. Cum ergo eiusmodi alui subductio sit cauta §. IV, clare adparet, quod ad excretionem aluinam in morbis chronicis cum partium laxitate coniunctis circumspecte promouendam nequaquam talia conducant remedia, quae partes solidas magis relaxant, sed iisdem maius conciliant robur, vel saltem ipsas non reddunt laxiores.

§. XLVI.

*A clysteribus  
demulcenti-  
bus in morbis  
chronicis ex  
laxitate est  
abstinen-  
dum.*

Quod clysteres demulcentes, quorum aliquam §. XX. dedi descriptionem, vel ex oleosis & pingui- bus confecti, partes relaxent solidas, veritas est in- dubia. Hoc si perpendimus, simulque considera- mus, eiusmodi remediis ad excretionem aluinam in morbis chronicis, ex laxitate oriundis, promouen- dam, non esse vtendum, quae maiorem partium soli- darum laxitatem inducunt §. XLV, facile perspicie- mus, a clysteribus demulcentibus, vel ex pure oleosis & pinguedinibus paratis, plane abstinentum esse, si cum aegrotantium qualicunque emolumento tunc restituenda est aluina excretio.

§. XLVII.

*Remedia,  
quae stimu-  
lando aluum  
laxant, in  
morbis chro-  
nicis ex laxi-  
tate adhiberi  
possunt.*

Stimulantia, quae aluum laxandi virtute pol- lent, fibrarum augere motus, iisque, si debita quantitate exhibentur, maius addere robur, adeo certum est, vt mea non indigeat probatione. Cum enim agant partes solidas irritando & maiorem san- guinis ac fluidi neruei adfluxum versus illas excitando, fieri aliter nequit, quin robur, quod ab iis profi-

proficiscitur caussis, producant maius. Nunc ea ad cautam alui solutionem in morbis chronicis ex laxitate peragenda conducunt remedia, quae partes solidas roborant §. XLV; adeoque patet exinde, talia laxantia, quae stimulando agunt, ad excretionem aluinam in hisce morbis circumspecte restituendam maxime proficua esse, si debita in quantitate porriguntur.

## §. XLVIII.

Partium solidarum laxitas atque atonia ab humo- *Phlegmagoga in cautam alui resolutionem in morbis chronicis ex laxitate conducunt.*  
 morum in corpore humano, ferosorum imprimis, iusto maiori quantitate & deprauata indole originem ducit, talisque eorum constitutio in morbis chronicis ex laxitate plerumque coniuncta est, utpote qui fibrarum nimiam debilitatem & atoniam secum ferunt. Ea igitur medicamenta, quae aluum ita aperiunt, ut humores ferosos, tam qualitate, quam quantitate nimia peccantes, e corpore simul educant, qualia sunt quae a Medicis *phlegmagoga* nominantur, semper quoque partibus solidis maius conciliant robur; cumque insuper omnia, quae fibras reddunt robustiores, ad aluum in talibus morbis circumspecte referendam imprimis conducant §. XLV, merito hinc exinde infertur, phlegmagogis prae ceteris esse utendum, si aluina his in morbis impedita excretio prouide est restituenda.

## §. XLIX.

Pilulae, quae ex extractis, panchymagogo Crollii, hellebori nigri, aloe, resina ialappae, scammoni, trochiscis alhandal, diagrydio sulphurato, mercurio dulci, gummi ammoniaco, massa pilularum *Pilulae per epicrasin laxantes & insusa vinosa de laxantia*

*sunt remedia, praeteris in morbis chronicis ex laxitate proficua.*

de succino Cratonis, tartarearum Schroederi, idque genus aliis praeparantur, serum in corpore superfluum & deprauatum exinde optime eliminandi virtute pollent. Idem efficiunt infusa vinosa laxantia, ex foliis fennae sine stipitibus, rhabbaro electo, agarico trochiscato, herba epithymi, radice pimpinellae, Zedoariae, ari, vincetoxici, limatura martis, cremore tartari, aliisque confecta. Iam eiusmodi medicamenta inseruiunt prae iis, quae partes solidas in statu laxitatis suae conferuant, ad aluum in morbis chronicis ex laxitate caute soluendam §. XLVIII, dum nempe deficiens robur quantenus simul restitunt, adeoque maior iisdem efficaciam tali in statu omnino erit tribuenda. De reliquo pilulae balsamicae Hoffmannianae, Stahlianæ & Becherianæ etiam huc referri possunt, quamuis lenius, quam priora, agant, adeoque minorem communiter exferant effectum.

§. L.

*Remedia §. priori recensita rhabbarinis & mannatis ad cautam alui solutionem peragendam aptiora & meliora sunt.*

Dum pilulis per epicrasin laxantibus & infusis vinosis in §. praeced. descriptis praeclaram & singularem ad soluendam aluum in morbis chronicis, cum partium solidarum atonia coniunctis, adscripti efficaciam; minime mens mea eo redit, vt potionibus mannatis, salis medii adiectione exaltatis, & rhabbaro, sub pulueris, infusi, vel tincturae forma exhibito, cuius virtus itidem salis medii additione efficacior reddita fuit, omnem denegem in hisce morbis efficaciam salutarem laxantem, quin potius iisdem omnino locum quendam concedo, quoniam stimu-



stimulando agunt, & quae stimulando aluum mo-  
uent, his in morbis conducunt §. XLVI. Interim  
tamen ea, quae §. XLVIII. indicaui, remedia, prae  
rhabarbarinis & mannatis, ad obtinendam cautam  
alui in talibus morbis refectionem primas tenent  
partes, quemadmodum id ex §. XLVII. sufficienter  
iam patet.

## §. LI.

Clysteres, qui ex herbis neruinis, vt herba ru-  
tae, maioranae, rorismarini, satureia, thymi, sal-  
uia, floribus lauendulae & aliis conficiuntur, partes  
solidas non debilitant, sed roborant. Eundem effe-  
ctum praestant clysteres stimulantés & euacuantes,  
quales sunt, quae ex solito maiori salium, vt salis  
communis, gemmae, Ebshamensis, Sedlicensis,  
quantitate praeparantur. Cum igitur ea remedia  
laxantia in his morbis sint adhibenda, quae partes  
roborant solidas, eaque prae ceteris se vtilitate sua  
commendent, si aluus prudenter in illis est soluenda  
§. XLV, nemo sane dubitabit, huic fini clysteres  
neruinos, stimulantés & euacuantes admodum esse  
apros.

## §. LII.

Iure meritoque nunc meae tractationi finem  
imponere possem, cum multos variosque confide-  
rauerim morbos & quomodo in iis aluus caute sit  
resectionem, ostenderit. Sed ne quis vitii me forsan  
arguat, complura huc pertinentia a me fuisse negle-  
cta, cumque simul adhuc quaedam supersint, quae de  
haemorrhagiis & doloribus, aluique in iis adstrictae  
cauta

*Clysteres ro-  
borantes ad  
cautam alui  
in morbis  
chronicis ex  
laxitate refe-  
ctionem  
conducunt.*

*Pertractatio  
de cauta alui  
solutione in  
haemorrha-  
giis & dolo-  
ribus.*

cauta solutione itidem notari debent, ea nunc, quantum spatii angustia permittit, aggredior.

## §. LIII.

*Adcautam  
alui in haemorrhagiis  
& doloribus  
solutionem  
promouendam, ea  
conducunt remedia,  
quae sanguinis  
impetum coercent,  
spasmos leniunt  
& fibras ten-  
sas relaxant.*

Quemadmodum nulla oritur haemorrhagia, nisi sanguis magno ad partem, ex qua erumpere debet, moueatur impetu, & aliquae partes spasmo sint constrictae; sic nullus existit dolor, nisi quaedam fibrae nerueae iusto maiori tendantur vi & aliae contra spasmodica adfligantur contractione. Quod si igitur his in affectibus aluus est adstricta, & caute referari debet, talia non sunt adhibenda remedia, quae sanguinem vehementer commouent, spasmos praesentes adaugent, & fibris nerueis maiorem irducunt tensionem. Tantum enim abest, ut ea horum morborum vim minuunt, ut ipsam potius exacerbent. E contrario autem patet, eiusmodi remediis aluum circumspicere posse referari, quae praeter virtutem laxantem sanguinis impetum coercent, spasmodicas contractiones demulcent & fibras tenfas relaxant. Haec efficiunt, ut praedictorum morborum vis, quamuis non tollatur, tamen imminuatur, & cum eiusmodi alui subductio sit cauta §. IV, patet inde, quod, si aluus in haemorrhagiis & doloribus adstricta referari debet, huic fini optime conducant remedia laxantia, quae sanguinis impetum sedant, spasmos praesentes mitigant & fibras nerueas relaxant. Deficientibus autem talibus remediis, ad ea est confugiendum, quae aluum ita subducunt, ut omnium minime corpus commoueat.

## §. LIV.

## §. LIV.

Purgantia draſtica nunquam in morbis ſunt adhibenda §. VIII, adeoque nemini mirum eſſe poteſt, ſi iſtis ad aluum in doloribus & haemorrhagiis caute ſoluendam nullum concedam locum. Excitant enim conſtrictiones ſpasmoticas §. cit. & quae eas prouocant, nullo plane modo adhiberi poſſunt, ſi in affectibus modo dictis aluus ea, qua decet, circumſpectione eſt reſeranda. Neque etiam ſalina eandem ob cauſam, inprimis ſi ſola & in larga quantitate porriguntur, hoc ſine poſſunt adhiberi, quoniam partes ſolidas ſtimulant, & ad ſpasmoticas contractiones irritant, quamuis tales in minori, quam draſtica, gradu producant.

*Salina & draſtica in haemorrhagiis & doloribus ad aluum caute reſerandam uſurpari nequeunt.*

## §. LV.

Medicum ad tempus morbi, ſi aluum in eo caute reſerare intendit, reſpicere oportet §. V, atque hoc in haemorrhagiis & doloribus maximopere eſt neceſſarium. Quod ſi ergo magnum ſanguinis praeeſſerit profluuium, aluusque tunc adſtricta circumſpecte ſit reſeranda, neceſſitate id urgente, clyſteres demulcentes, vel ex pure oleoſis & pinguedinibus conſecti, vel iuxta modum in §. XX. deſcriptum praeparati, neque minus rhabarbarina, mannata, & pilulae balsamicae leniter laxantes, ſi puluis praecipitans nitroſus vel antea iam exhibitus fuerit, vel ſimul offeratur, optimum exſerunt effectum, quia ſanguinis aeſtus motusque vehemens in ſimul ſic temperatur, & ſpasmus ſedantur, ea vero his in affectibus conueniunt, quae tales producant effectus. §. LII.

*Si poſt haemorrhagiam aluus caute eſt reſeranda, rhabarbarina, mannata & pilulae balsamicae cum puluere praecipitanti conueniunt.*

G

§. LVI.

## §. LV.

*Eo tempore,  
quo dolores  
corpus excru-  
ciant, ad al-  
uum caute  
referendam  
optime adhi-  
bentur clyste-  
res demul-  
centes.*

Si corpus doloribus valde excrucietur, & circumstantiae cautam alui reperationem exigunt, clysteres demulcentes, vel ex folis oleis & pinguedinibus, vel ex iis ingredientibus praeparati, quorum §. XX. mentionem feci, prae ceteris praeclarum exhiberunt effectum. Fibras enim tenfas relaxant, & spasmos, si qui adsunt, demulcent. Cum vero eiusmodi remedia admodum apta sint ad aluum caute in doloribus referendam §. LIII, ratio inde adparet, cur clysteribus demulcentibus, si in doloribus aluina excretio circumspicte est promouenda, primus sit concedendus locus. Quodcumque enim aliud adhibeatur laxandi fine remedium, non tamen ita salutaris, uti a clysteribus, inde producit effectus. Extra tempus paroxysmi vero, quo dolores non faeniunt, rhabarbarina, mannata, parcius admixtis salibus, itemque pilulae balsamicae leniter laxantes, in usum vocari possunt. Haec sunt, quae de *cauta alui in morbis solutione* proponenda esse putavi, & beneuoli Lectoris diiudicationi nunc relinquere volui. DEO autem T. O. M. rerum omnium supremo moderatori, pro benignissime ad praesentem laborem concessis viribus animi & corporis debitas persoluo gratias, ac sempiternam in omne aeuum tribuo gloriam.



NOBI.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

**D**isputatum equidem iam dudum fuit in scho-  
lis Medicorum, sed plerumque ex falsis &  
erroneis praeiudiciis, de illa quaestione: An  
symptomata quoque inter indicantia thera-  
peutica iure quodam sint referenda? Veterum pleros-  
que negatiuam propugnasse sententiam nouimus, ar-  
gumentis tamen leuioris omnino momenti, quae potis-  
simum TRINCAVELLVS Epist. X. IOVBERTVS  
Med. pract. L. II. c. XVI. & SANCTORIVS method.  
vitand. error. L. XI. C. X. fusius adduxerunt. Recen-  
tiorum quoque complures iisdem suffragari constat,  
adeo, ut indiscretim in omnes illos inuehantur, qui, in  
curationibus morborum, quorundam ad minimum  
symptomatum rationem habendam esse praecipiunt, ac  
si in ipsa methodi medendi praecepta grauissime delin-  
querent. Non disquiram iam, quantum hallucinen-  
tur, dum, a solo morbo omne symptoma dependere sup-  
ponentes, solo etiam illo sublato omnia ea optime profli-  
gari contendunt. Ipsa enim experientia quotidiana  
edocemur, non raro adeo graua urgere aegrosque ex-  
cruciare symptomata, ut, nisi iisdem quantocyus occur-  
ratur, neglecta etiam primarii morbi huiusque caus-  
arum medicatione, pereundum sit aegro prius, quam  
ipse vincatur morbus, qui interdum per naturam suam  
aliasue circumstantias ipsemet incurabilis existit,  
quor-

quorū etiam accedit, quod symptomata quaedam frequentissime ipsius morbi curationem impediunt & turbent, immo nouum facile inducant, alia vero, licet morbo euidentiori iuncta sint, eundem tamen haud semper pro causa immediata agnoscant, sed ab alia, praeter illum, causa foueantur, adeoque sui mitigationem mox & omnium primo urgeant. Non lubet iam, nec etiam licet, exemplis quibusdam adferri huius ueritatem demonstrare, inprimis cum optime id a Te, **NOBILIS-SIME DOMINE CANDIDATE**, praestitum sit in egregio Tuo specimine inaugurali, intuitu frequentissimi illius & saepe admodum perniciosi symptomatis, compluribus morbis perquam familiaris, aluinae nempe excretionis suppressae, cuius restitutionem prudentem, secundum diuersam morborum conditionem diuersis omnino modis molendam & utiliter perficiendam esse, ex solidissimis rationis & experientiae fundamentis perspicue docuisti, eoque ipso simul necessitatem absolutam, talia ab ipso morbo distincta symptomata tempestiue tollendi, serius inculcasti. Gratulor Tibi idcirco & de hoc utilissimo labore ita feliciter exantlato, & de honoribus supremis in arte nostra saluari, quibus nunc communi omnium bonorum adplausu ornaberis. Faxit diuina clementia, ut in posterum quoque felicissimos rerum Tuarum experiaris successus, saluum porro & incolumen Te seruet, utque tutelarium Musarum gratia uirtus Tua magis magisque entescere queat, benignissime concedat. Tibi uero persuaideas uelim, gauisurum me serio, eoque magis semper, quo Te fortunatiorem cognouero. Vale. Deproperab. Halae, d. XIX. Iulii, A. R. S.

clōccxlvī.



Halle, Diss., 1746/47









1746 4a 9 10.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
**CAVTA ALVI  
SOLVTIONE  
IN MORBIS,**

Q V A M  
S V B A V S P I C I I S S V M M I N V M I N I S  
E T  
C O N S E N S V G R A T I O S A E F A C V L T A T I S M E D I C A E  
P R A E S I D E  
V I R O I L L V S T R I E X C E L L E N T I S S I M O E T E X P E R I E N T I S S I M O  
D O M I N O

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,**  
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILIAR. INTIMO,  
S. R. I. NOBILI, MEDIC. ET PHYS. PROF. PVBL. ORDIN. ET IMPERIAL.  
ACAD. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
S V M M I S Q V E I N M E D I C I N A H O N O R I B V S E T P R I V I L E G I I S  
D O C T O R A L I B V S L E G I T I M E I M P E T R A N D I S  
A D D. I V L. A. S. R. M D C C X L V I.  
P V B L I C E D E F E N D E T  
A V C T O R E T R E S P O N D E N S

**CHRISTIANVS FRIDERICVS TRUPPEL,**  
H A L E N S. S A L I C.

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
T Y P I S I O. C H R I S T I A N I H E N D E L I I, A C A D. T Y P O G R.

